

Heinrich Rahn    Henricus Schultze

**Decanus Facultatis Iuridicae In Universitate Rostochiensi Henricus Rahne, I. U. D. & Prof. suo & Dominorum Collegarum nomine, Ad Disputationem Inauguralem, Quam De Iure Belli Et Pacis habebit Dn. Henricus Schultze, Lubecensis, Ad XXVII. huius mensis Maii, Magnificum Dn. Rectorem ... officiose invitat**

Rostochii: Kilius, 1658

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749567120>

Druck    Freier  Zugang





Tr. K. — 2 (93)

1. Kühlewein de delictis in nominatis.
2. Bechmann de prorogatione jurisdictionis de personis ad personam.
3. Euben de arboribus seu homicidio imperato.
4. Zentgravius de armis in bello prohibitis.
5. Bechmann de dispensationibus.
6. Konhardt de acceptatione episcopi necessitate.
7. Engelbrecht de recognitionibus instrumentorum.
8. Engelbrecht de clausulis concessionum principum.
9. Sichel de prodigiis eorumque cura.
10. Böttcher de alienatione in genere.
11. Götthaler de jure agrorum, in specie de agris ecclesiasticis et religionis.
12. von Störcken de pollicitatione.
13. Tabor de testamento principi aut comiti oblato.
14. Rebhahn de consilio.
15. Wethut de jure retentionis.
16. Erlenkamp de mero imperio.
17. von Sthen de lege Rhodia de jactu et ejus contributione.
18. Tenore de venditione per aversionem ejus, opposito.
19. Meurer de eo quod inter socios justum est.
20. Martmann de blasphemiae crimine ejusque poenis.
21. Bruw de facultate utendi rebus alienis in casu urgentissimae necessitatis.
22. Viener de privilegiis rusticorum.
23. Bechmann de jure belli.
24. Rahne de jure belli et pacis.
25. Beckmann de jure de tractionis.
26. Bechmann de incendio.
27. Bechmann de libello.
28. Ruprecht de conditionibus.
29. Meyer de innovatis seu attentatis.
30. Schwendendorffer de habitatione.
31. Acker de usucapionibus.
32. Bardili de hereditatis aditione.
33. Schulz de probatione filiationis.
34. Schulz explanatio praeccepti decalogi: non occides.
35. Schulz de traditione ficta.
36. Schulz de urpheda.

37. Hapnell. de fodinis ac earum jure.
38. Uffelmann de gratiis expectativis.
39. Hellwich de contractu mutui.
40. Sethen de jure retractus.
41. Nitzel. de represalibus.
42. Nitzel de servis veterum Romanorum.
43. Wolder de legitima.
44. Schwendendorffer de confessione legitima.
45. Schacher de renunciationibus actionum indubiarum.
46. Carprou de jure dividi et individi circa personas res et actiones.

12  
240  
**DECANUS**

**FACULTATIS JURIDICÆ**

IN UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

**HENRICUS RAHNE,**

J. U. D. & Prof. suô & Dominorum  
Collegarum nomine,

Ad

DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

Quam

**DE JURE BELLII  
ET PACIS**

habebit

**DN. HENRICUS SCHULTZE,**  
Lubecensis,

*Ad XXVII. hujus mensis Majj,*

**Magnificum Dn. Rectorem,**

omnes omnium ordinum Cives Aca-  
demicos, Literatos & Literatorum Fau-  
tores officiosè invitat.

**ROSTOCHII, Typis Hæredum NICOLAI KILII.**  
Acad. Typ. Anno M. DC. LVIII.



I quod unquam fuit seculum, cuius corrupti fuerunt mores, si qua exulcerata tempora, hac sanè sunt, in quibus nobis vivere contigit; Quicquid namq; usquam barbariei est, quicquid bonæ mentis & literatorum adversarii, in eos velut agmine facto

Quà data porta ruunt,

ut, literatos non vercali odio prosequi, non tantum in laude sit, sed & qui ingeniosius & exquisitius illis insultare possit, is demum regnet, & laboris sui præmia satis ampla reportet, ut omnia in antiquum inscitie & injustitie chaos brevi reditura videantur: idq; eo magis, cum & doctorum inter se sint concursus, ea digladiationes, ista civilia bella, ut quoquò etiam hic te vertas, cum quo confidenter agas, facile quenquam non reperias. Atq; licet sint, qui eruditionis mereantur laudem, qui disputent argute, qui eloquantur non impeditè, qui scribant doctè, iis tamen plerumq; sunt moribus, ut aut planè secum agi non patiantur, aut si id contingat, majori tibi cum illis cautione opus sit, quàm si

Periculosa plenum opus alex

Tractes, & incedas per ignes

Suppositos cineri doloso.

Causa autem huiusmodi corruptionis, & quod literarum non amplius in honore sit nomen apud Magnates (qui hodie nil nisi bella spectant, justitiamq; pro cerebro suo ductilem habent) quodq; sic in rabiem & insaniam eant sanctissima antè studia, quærenti obscure esse nequeunt, & post pauca indice quasi digito à nobis monstrabuntur. Quanto tamen magis res doctorum virorum ad interitum vergere & --- retrò sublapsa referri --- videntur, tanto magis bonæ mentis studioso allaborandum erit, ut lapsis rebus subvenire quaquà ratione, ut item obfirmato animo, irretortis oculis, & non reducto pede, veluti Gorgoneo quodam objecto clypeo, venienti barbariei occurrere possit; ut ita se comparet, ut quæcumq; ipsum fors maneant, læto eam excipiat pultu, ut cum doctis  
ipfi

ipsi pariter & indoctis stet concordia, ut deniq; alma in terris ju-  
stitia, tanquam coagulatum universi, conservetur. Fiet id autem ex-  
pedite, & brevi via (recta namq; via brevissima semper esse solet,  
cum per devia & calliditatum calles ituris, anfractus & salebrae  
expectanda sint) si super lapide Pietatis angulari omne studiorum  
suorum edificium extruat, sine quo quicquid conabitur, in vanum  
laborabit, & irrita vota ferent venti: super hoc quicquid loca-  
bit, id brevi magnum, durabile firmumq; erit: deinceps, si arre-  
ptis linguarum cardinalium & humanioris literaturae ansis neces-  
sariis ad Rationis praecipue culturam pergat, eamq; ad unicam so-  
lius & verae Honestatis normam, tanquam ad Helicem quandam  
& Cynosuram perpetuo dirigat flectatq;, tumq; Justitiae praecepta  
ex ipsis fontibus tam Naturae, quam probatissimorum Authorum, ut  
& ex viris ubiq; terrarum prudentissimis imbibat, hisq; exhaustis,  
non tam suo velificetur usui, quam bono publico, & bonorum quo-  
rumcumq; commodo totum se destinet devote atq;. Quid namq; est  
scientia, nisi ad hanc metam collineet? Malitia potius est; imò,  
qui scit, nec idem bonus est, non potest non esse dupliciter malus:  
tunc enim, si scientia in improbum ejusmodi incidit subjectum, in  
venenum vertitur, veluti dulcissima quaeq; in acidum infusa vas,  
acescunt, & testa retinent odorem. Quanta hinc, Deum im-  
mortalem! saepius excitate sunt tragœdia, quae mota turba, ab  
hominibus scientiae plus, quam conscientiae, eruditionis, quam bo-  
nestatis habentibus! pleni horum sunt libri, plena hominum vo-  
ces, plena omnium temporum monumenta: neq; aut fefellit, aut  
falsus est, quisquis populum mari dixit esse similem, turbidos au-  
tem ejusmodi homines flabris sive ventis: sicut namq; mare tran-  
quillum & placidum foret, si à ventis non agigaretur, sic & popu-  
lus, quamvis rudis, tractabiliorem longè se praeberet, nisi à seditio-  
nis hisce impelleretur & agigaretur. Ultinam autem cum rebus no-  
stris ita comparatum esset, ut qui sciunt, iidem & boni esse, & re-  
tam tenere viam vellent! sed nunc plurimi ad diverticula abeunt,  
dum



dum alii scire volunt, ut sciant tantum & in sinu gaudeant, nulli-  
us usus aut honori, quod sciunt, impendentes, atq; sic defosso in-  
cubantes auro: Pars ad hoc se didicisse putant, ut habeant, unde  
spiritus sumant, & reliquis elatiores se gerant, sua ipsi insania  
indices, cum nihil tam solida & infucata eruditioni sit adversa-  
rium, quam ventosa, & in morem ventriculi tumens anima: Pars  
huc se componit, ut popularem caperet auram, digitoq; monstrari  
velit, & dicier, Hic est, sicq; virum victor volitare per ora possit.  
Alii deinceps voto suo se beatos existimant, si, quod hactenus, &  
ne satis quidem didicerunt, faenori & quaestui exponere possint, atq;  
ad hoc loci commodi sese ostendet aucupium, quo aliorum pecunias,  
agros, praedia, facultates, tanquam viscata quadam virgula ad se  
trahant, non advertentes, quod ex nobilissima virgine prostibu-  
lum faciant, dum literas, ad quod natae non sunt, unice adbibent,  
quodq; non tam queri, quam sequi & adici debebat, id ipsi biant  
ore captant: Tum & Alii non tam scientias, quam scientiarum  
scorias, retrimenta & quisquilias sectantur, dum vel obscuris ver-  
borum captiunculis, vel inutilibus & abusu dudum remotis que-  
stiunculis, aut non explicandis tricis, atatem terunt, ad omnem  
plane rem inepti: Alii deniq;, sed qui ad reliquorum numerum  
pauci sunt, quos equus amavit Jupiter, in commune & suum bo-  
num, quicquid habent eruditionis, solo moti honesto conferunt,  
cumq; se non sibi natos arbitrentur, aliis inserviendò consumuntur,  
Viri aeterna laude dignissimi. Animadvertit dudum hanc  
eruditorum disparitatem D. Bernhardus, unde in Homilia qua-  
dam, eleganti satis dictorio singulos perstringit, quando, sunt,  
ait, qui scire volunt, ut sciant, & curiositas est; sunt, qui  
ut sciantur, & vanitas est; sunt, qui ut vendant, & turpis  
quaestus est; sunt, qui ut aedificent, & charitas est, sunt, qui  
ut aedificentur, & prudentia est. Neg; hic, ad fidem dictis no-  
stris adstruendam, opus esset ad alias excurrere Facultates; ipsa  
nostra Jurisprudencia, & sacratissima justitia à suis sibi varie  
imponi

imponi sacerdotibus pati cogitur. Videas namq; paucos verum  
clientibus praesidium, properatam amicis opem, praesens miseris  
auxilium, gratam deniq; omnibus & salutarem ingenii ac consilii  
lucem porrigentes; plures verò in perniciem hominum, in op-  
probrium justitiae, in aucupium popularis auro & vani nominis,  
in allicium alienarum facultatum, in otiosam tot glossarum &  
commentariorum revolutionem & memoratorem natos & assue-  
factos. Sed per institutum nobis hic non licet esse prolixis, & praesentes pagellas DN. Candidatus HENRICUS (Schulke) po-  
tissimum sibi vendicat, cujus quoq; gratia hac scribimus. Hic  
namq; ab ineunte statim aetate per rectum tramitem ad bonae men-  
tis Musarumq; serenas ades contendit, cumq; in hac primùm no-  
stra Academia, non fucata Philosophia veraq; Jurisprudencia fun-  
damenta fideliter jecisset, Regiomontum, tanquam ad ulterio-  
rem sapientiae mercatum, se contulit; de hinc Lovanium, ubi et-  
iam publicum suorum injure profectuum extare voluit specimen,  
habitâ de Rerum acquirendo Dominio disputatione: Unde porro  
Spiram Nemetum petiit, exploraturus ibidem Ordinem seu Pro-  
cessum Cameralis Judicii. In patriam exinde reversus, cum jam  
studiorum suorum fiduciam haberet, meminissetq; laborum Vir-  
tutis & Justitiae causâ exantlatorum, & quò majori paulatim  
ornamento patriae esse posset, cepit de Academicis honoribus, tan-  
quam premiis, cogitare: idq; non injuriâ. Quidni enim illud sibi  
tandem conferri vellet, quod ipsi toties calcar & stimulum ad de-  
currendum studiorum cursum addiderat? Cur non ex eo laudem  
& decus sibi pararet, quod verè suum dicere potest, quod animû  
ornat, eumq; caelestibus assimilat mentibus; cum alii vel de spe-  
ciosa formae exterioris pulchritudine, vel corporis eximio robore,  
vel opum affluentia gloriantur, alii genus suum jactent, & pa-  
rentum incumbant fama? Cur non studia literarum, quae tot  
tantisq; genus humanum affecerunt beneficiis, id ipsi tribuerent,  
quod castra sequentes, perq; caedes hominum, ruinas civitatum,

Vastationes agrorum euntes, sub ambitiosis titulis sibi acquirunt? cur non ob devictam ignorantiam, subactam malitiam, occupatam repurgatamq; bona mentis arcem triumphali & Parnaside Lauru cingeretur, quam jam olim vel ob casum sine multa suorum jaecturâ hostem, vel captam feliciter urbem, vel servatum civem, & c. meruerunt bellicosi viri? Si namq; vera usquam gloria est, de animo, certè, rectè composito ea erit: si qua decens laus, de nostris illa nobis, quaq; nec dari, nec eripi possunt, non alienis competit bonis; si qua Nobilitas, Virtutis illa & Scientia filia erit, hac namq; sola possessores suos nobilitat: hujus fama, sicut Laurus, non senescit, nec marcescit, sed perpetuò viret. Consensu itaq; parentum ad nos sese recepit & summos in utroq; Jure honores legitime ambivit. Cui petito, cum ab honestate alienum non esset, Collegium nostrum deesse non potuit, sed ipsum scrutinio & explorationi privata, more solito, protinus submitit; in quo talem quoq; se praestitit, ut jure merito ad publicum examen, sine quo nemo ad dignitates Academicas superiores admittitur, aditus ipsi fuerit concessus & paratus: Laborandum namq; prius & certandum, siquidem dicente Lucano

Lætius est, quoties magno sibi constat honestum.

Labore Virtus paratur. Per Virtutis autem templum in fanum Honoris demum patet introitus, quod prisci illi Romani eò ipsò significarunt, dum utrumq; ita contiguum posuerunt, ut ad hoc non nisi per illud daretur aditus. Sistet igitur sese noster Candidatus futuro 27. Maij publicè omnibus, non quidem in toga candida, neq; circummeundo, prensando, abblandiendo, nominando, rogandoq;, pro more veteri, singulos ex plebe, neq; super colle quodam conspicuum se dabit, unde ab universis coram videri possit, neq; favorem sibi vestrum aut congiariis dandis, aut prandiiis praebeendis, aut gladiatoribus exhibendis, aut pecuniis dividendis, conciliabit; Virtute namq; non favoribus ambire oportet; sed super cathedrâ ad pugnam destinatâ se sistet, disputaturus de no-

de nobilissima eademq; frequentissima hodie materia, JURE ni-  
mirum BELLI & PACIS. Quid eligere ad pugnam solennem  
aptius poterat? Bellum undiq; aures nostras, utinam nunquam!  
circumsonat, ad rabiem usq; geritur, divina humanaq; concu-  
cat: Pax interea, dum exulat, in votis est, quam saepe, dum na-  
sti sumus, servare nescivimus: Cui ut utriq; sua constet ratio, sui  
ponantur limites, ne & bellum planè fiat belluinum, & pax redda-  
tur intuta juxta & indecora, id verò aget Candidatus noster, ex-  
citatus forte an ad præclarum ejusmodi ausum dicto Seneca, quod  
in Epistola 49. Dialecticorum quidem argutiis opposuit, nihi-  
lominus tamen in multa quoq; juris nostri capita non inconcinne  
dici poterit: Quid te torques, ait, & maceras in ea quæstio-  
ne, quam subtilius est contempisse, quàm solvere? securi  
est, & ex commodo migrantis, minuta conquirere: Cum  
hostis instat à tergo, & movere jussus est miles, excutit ne-  
cessitas, quicquid pax otiosa collegerat. Non vacat mihi  
verba dubiè cadentia consecrari, & vafrutiam in illis me-  
am experiri:

Aspice qui coeant populi, quæ mœnia clausis  
Ferrum acuant portis.


Magno mihi animo strepitus iste belli circumsonantis ex-  
audiendus est. Demens omnibus meritò viderer, si, cum  
faxa in munimentum murorum senes fæminæq; congere-  
rent, cum juventus intra portas armata signum eruptionis  
expectaret, aut posceret, cum hostilia in portis tela vibra-  
rent, & ipsum solum suffossionibus & cuniculis tremere,  
federem otiosus, & ejusmodi quæstiunculas ponens &c.  
*Verùm sine vestra, Viri omnium Ordinum literatissimi, quoquor  
aut Academia nostræ peculiari nexu devincti estis, aut eandem  
favore vestro prosequimini, honorificâ presentia solemnibus hac  
nostra & Inauguralis Disputatio haberi non potest, sed vestro ex-*


actis.


actissimò examine, & favorabili iudicio testimonioq; & benevolâ  
attentione planè indigemus; Te igitur, Magnifice Domine Rector,  
Vosq; omnium Ordinū celeberrimos Professores, Doctores, Licentiatos,  
Verbi divini Praecones vigilantissimos, Magistros Studiosos floren-  
tissimos, reliquosq; literatos & Literatorum Fautores universos  
& singulos, quâ maximè fieri potest humanitate invitamus, ut,  
quam Vobis quondam fieri gratiam voluistis, aut adhuc prestari  
voletis, eandem nobis ne denegatis, verum die dictâ compareatis,  
frequenti nos concione cingatis, cum Dn. Candidato amice aut  
ipsi conferatis, thesesq; ejus sub examen docetis, aut disceptantem  
illum cum aliis favore Vestrò sublevertis, plausuq; juveris. Fiet eò  
ipso non tantùm, quod Collegium nostrum Juridicum ornabit, sed  
& quod nobis præcipuè gratum erit, quodq; promptitudine  
nostrâ in simili vel majori demereri, & gratissimâ  
perpetuò mente agnoscere non obli-  
viscemur. Valet

P. P. Rostochii sub Collegii nostri  
sigillo; XVI. Maij Anno Christi  
M. DC. VIII,














CIRCA ACTIONES.

unus datus à Domino Procurator fuerit, licet ad a  
saltem directum sit, in conventionem tamē domini  
re debet *l. 33. §. 3. l. 34. 35. ff. de procur.* quod etiam pr  
rio Procuratore in rem suam, qui ex causa lucrati  
datus est, *l. 53. §. 4. & 5. j. l. 34. l. 70. eod.* Bachov. ad  
*9. thes. 1. lit. a.* Bernh. Schott. in *Exam. Jurid. d. tit.*  
idem & appellare, appellationemq; interpositam  
*l. 17. C. de procur.* ibiq; Wissenb. & *ad eund. tit. ff. n*  
*3. lit. a.* Deniq; etsi Dominus mutandi Procuratori  
ante litem contestatam *l. 16. de procur.* quā causā  
habeat *l. seqq.* omnia tamen iudicii ab eo debet tra  
si quaedam velit transferre; quaedam relinquere  
hanc inconstantiam recusabit. *l. 27. pr. ff. d. i.*

V. LITIS CONTESTATIO cum co  
ad intentionem Actoris negatione *l. un. C. de litis c*  
*judic.* Si pro parte fiat, pro legitima non habetur  
jicitur & nulla est, aut quod plerumq; fieri assolet  
fingitur, quando nimirum propter contumaciam  
tem lis contestata, pro tota contestata habetur.

VII. PROBATIONIS divisio in pleni  
nonnullis sordet exinde, quod probatio non nisi  
nec pro parte fieri queat, cum probare in genere si  
cere; pugnare autem fidem facere & opinionem  
Unde unum testem nec audiri quidem debere, tan  
riae honore praefulgeat Imp. Constantinum rescri  
*de test.* Nullam ergo semiplenam probationem,  
ficitur, facere probationem, sed vel in solidum  
plane nihil probari. H. Giphon. in *d. l. 9.* Duar.  
senb. *qv. 1. ad ff. Disf. 43. n. 3.* Sed cum in iis, quae u  
vit, non liceat nobis esse tam delicatis, nec omnin  
ant *l. 31. ff. de iurej. l. 3. C. de R. C. l. 5. C. de prob. no*  
eandem feremus. Carpz. in *Proc. tit. 12. art. 2. §. 1.*

VIII. SENTENTIA iudicis per se indi  
pro parte valere & pro parte non valere nequit.  
Mindan. *de contin. causar. c. 18. §. 2.* quare si in una



atū  
de  
nta  
fide  
Disf.  
nde  
etur  
th.  
tam  
am  
um  
ator  
  
ruā  
r. de  
re-  
acta  
fal-  
  
am  
icq;  
fa-  
ere.  
cu-  
C.  
ber-  
vel  
is-  
ba-  
nu-  
nos  
  
que  
rife.  
usa  
nus